



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. De objecto scientiæ diuinæ generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

nam ad actum primum requiritur actualē principium, quod non contineat actum secundum formaliter implicite.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Resp. conced. dari potentiam generatiuam in Deo ; nego dari potentiam intellectuam propriè dictam. Ratio disparitatis est, quia potentia generatiua cum sit notionalis habet terminum notionalē verè productum, & realiter distinctum à producente, neque hoc pugnat cum diuina simplicitate, puritate, infinitate, cum non inducatur distinctio in essentia, neque terminus productus recipiatur in principio producente aut illud perficiat. Potentia verò intellectiua cum sit essentialis non posset habere terminum productum nisi essentialē, qui distingui non posset à principio producente, alioqui tolleretur Dei simplicitas, puritas, infinitas, sed hoc totum erit manifestius disputat. 6.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Respond. illam esse difficultatem grauissimam de actibus liberis diuinis de qua dicitur postea plenius : obiter nunc dico scientiam liberam esse realiter solum actum secundum necessarium liberè terminatum ad obiecta ad quæ poterat non terminari. Si ergo Deus de nouo intelligeret aliquid quod nunc non cognoscit, non haberet actum aliquem realiter distinctum ab eo quem habet, sed haberet eundem actum secundum aliter terminatum. Ad vtramque confirmationem eadem distinctio neque videri debet, in qua nunc non moror.

Species &
habitus.

Colliges autem primò, ex dictis quod nulla in diuino intellectu potest concipi esse species impressa, neque habitus scientificus quia illius vtriusque munus est complere potentiam in actu primo, quæ in Deo nulla est.

Memoria.

Colliges secundò, intellectum, memoriam, reminisceniam quatenus sunt in Deo, nihil omnino aliud significare, quàm actum secundum scientiæ, id est actum cognitionem, & tendentiam substantialem in obiectum; memoria enim Dei est cognitio quæ semper cognoscit præterita vt præsentia. Deinde ille actus secundus non potest propriè dici actio, cum non sit productio termini distincti à principio producente, sed tantum est actus vltimus diuinæ substantiæ, & vitalis tendentia in obiectum : vel potius ipsa diuina substantia, se ipsa tendens in obiectum.

Vita diui-
na.

Colliges tertio, rationem vitæ diuinæ maximè propriè consistere in intellectione ac volitione : quia licet illæ non sint actiones, & productiones vt sunt essentielles, sunt tamen veræ tendentiæ actuales ipsius substantiæ in obiectum, in quo consistit ratio vitæ. Diuina enim substantia est per se vita, & actualis motio sui ipsius ad obiecta quæ cognoscit, & amat. Possunt autem hi actus vocari operationes & actiones, excludendo tamen semper rationem productionis, significando duntaxat actum tendentiam, & apprehensionem obiectorum.

SECTIO II.

De obiecto scientiæ diuinæ generatim.

Art. 1. 2. 3. 6. 9. 10. 11. 12.

Latissimus hîc campus est, quia latissimè diuina scientia se extendit : loquor enim hîc de obiecto solum materiali generatim, & quæro quid Deus sciat, potest autem dici vniuersum quod illud est omne scibile : quia infinita non esset scientia, si esset aliquid quod illa non actu sciret, sicut potentia non esset infinita simpliciter si esset aliquid quod illa non actu posset producere. Vnde scitur aliquid ab intellectu infinito, eo ipso quod est scibile : sed vt explicetur hoc distinctius videndum primò est quomodo Deus se ipsum cognoscat. Secundò quomodo cognoscat creaturas.

Tom. I.

§. I.

An & quomodo Deus cognoscat se ipsum.

Art. 2. & 4.

Sicut in cognitione creata sic etiam in diuina distingui solet obiectum materiale, & formale, motuum, & terminatum, primum, & secundarium. Materiale illud est quod cognoscitur : formale quod est ratio cognoscendi, & dat speciem actui. Motuum videtur coincidere cum formali : & terminatum cum materiali. Primum quod cognoscitur ratione sui : secundarium quod cognoscitur prout iunctum est alteri.

Prima du-
bitatio.

Ratio ergo dubit. est primò, quia si cognitio diuina prima & directa terminatur ad essentiam Dei vt est in se, terminatur etiam ad se ipsam, cum illa pertineat ad essentiam Dei vt est in se : sed implicat vt prima & directa Dei cognitio terminetur ad se ipsam, ergo implicat vt illa terminetur ad essentiam Dei vt est in se. Prob. minor, illa cognitio nō est prima quæ necessariò supponit aliam priorē, sed cognitio reflexa quæ cognoscit cognitionem, supponit priorem cognitionem directam, ergo implicat vt prima cognitio Dei cognoscat se ipsam. Imò sequeretur illam cognitionem esse directam formaliter, prout est formaliter reflexa. Neque dici potest quod prima Dei cognitio terminetur ad alia Dei prædicata. Nam si hoc est verū, prima Dei cognitio non terminatur ad essentiam vt est in se, sed ad essentiam prout substantia nostris conceptibus.

Secunda
dubitatio.

Secundò, si hæc cognitio Dei est reflexa supra se ipsam necesse est admittere in Dei cognitione infinitas formalitates. Nam prima cognitio reflexa distinguitur formaliter à directa : Secunda reflexa distinguitur formaliter à prima, & sic in infinitum. Deinde sequeretur dari cognitionem extra collectionem omnium cognitionum. Nam cognitio Dei cognoscit omnes suas cognitiones, sed cognitio vt est tendentia, distinguitur à cognitionibus vt sunt terminus, cognitionis, ergo præter cognitiones omnes datur aliqua cognitio. Denique necesse erit vt dentur plures cognitiones reflectentes quàm reflexibiles, & vt non dentur plures. Probo esse plures, quia omnes reflectentes sunt reflexibiles, omnes autem reflexibiles non sunt reflectentes, quia prima est reflexibilis non reflectens. Probo non esse plures, quia nulla est reflexibilis cui vna reflectens non correspondeat, alioqui non est reflexibilis.

Tertia du-
bitatio.

Tertio, Deus non potest cognoscere creaturas comprehensiuè, quin cognoscat ordinem essentialē quem habent ad Deum, ergo cognoscit etiam se ipsum in creaturis tanquam terminum huius ordinis, ergo cognoscit se ipsum in creaturis. Consequentia est clara quia non potest cognosci respectus, quin cognoscatur terminus huius respectus.

Prima
conclusio.

Dico primò, Deus se ipsum necessariò cognoscit tanquam obiectum motuum, formale, primum.

Ratio est quia intellectus infinitus, & nobilissimus, necessariò cognoscit nobilissimum intelligibile tanquam obiectum primum, motuum, & formale, vnde dixit S. Thom. art. 2. quod Deus cognoscit se ipsum, per se ipsum, & in se ipso, quia ipsa substantia Dei est species expressa representans se ipsam : est enim obiectum motuum, & ratio cognoscendi. & Synesius eleganter (ait) *Quod Deus sui ipsius oculus est, quia se ipsum & sua omnia per se ipsum immediate intuetur.* Difficultas esse potest de attributis, & personalitatibus, an pertineant ad obiectum motuum : an ad terminatum. Respond. illa omnino pertinere ad obiectum primum non autem ad secundarium vt alias dixi, pertinere tamen possunt ad obiectum terminatum, quia videntur in essentia in qua sunt formaliter.

K 2

Dico

Secunda
conclusio.

Dico secundò, Deus se ipsum, & sua omnia cognoscit intuitiue, quidditatiue, comprehensiue. Ratio est quia cognoscit se ipsum vt est in se sibi præsens, cognoscit distinctissime suam essentiam totam, & attributa, & eius cognitio adæquata est tum extensiue tum intensiue ipsius cognoscibilitati.

Tertia cō-
clusio.

Dico tertio, Deus se ipsum in creaturis, & ex creaturis non cognoscit, sed tantum in se ipso. Ita docent Ruiz, Arrub. & alij quibus se opponit Herice d. 4. c. 2.

Ratio est quia si Deus cognosceret se ipsum in creaturis, creatura esset obiectum primum, & motuum diuinæ cognitionis, illamque specificaret, sed cognitio diuina non potest specificari à creatura, ergo non cognoscit se ipsum in creaturis. Deinde cognitio formaliter abstractiua, obscura, & inadæquata non potest Deo conuenire; sed si Deus cognosceret se ipsum in creaturis, cognitio illa esset abstractiua, & inadæquata. Quia Deus non est cognoscibilis in creaturis intuitiue, sed abstractiue tantum vt patet: ergo Deus non potest cognoscere se ipsum in creaturis. Neque dicas cum Herice illam cognitionem esse abstractiuam tantum eminenter, quia est comprehensiuam creaturarum. Nam illa cognitio prout terminatur ad Deum non est intuitiua formaliter, ergo est abstractiua formaliter. Deinde Deus non est cognoscibilis in creaturis, quoad quid est, sed tantum, quoad an est, ergo si Deus se ipsum in creaturis cognosceret, inadæquate cognosceret, & imperfecte. Si autem cognosceret se ipsum ex creaturis, deberent esse in Deo plures actus & discursus formalis. Confirmatur si propterea Deus se ipsum cognoscit in creaturis quia est terminus essentialis creaturæ ad Deum, posset etiam cognoscere se ipsum probabiliter, & fallibiliter. Quia non minus cognoscit se ipsum vt obiectum cognitionis probabilis quam creaturæ habent de Deo, quam vt terminum relationis creaturæ ad Deum, sed non potest se ipsum cognoscere vt obiectum cognitionis probabilis, quin cognoscat se ipsum probabiliter, ergo cognosceret se ipsum probabiliter & fallibiliter, si cognoscit se ipsum in creaturis.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Respon. cognitionem Dei adæquate sumptam vt est in se, terminari ad totam essentiam vt est in se, sed illam cognitionem præcisè sumptam vt est prima & directa terminari ad essentiam, vt est primum constitutum, non autem ad essentiam adæquate sumptam, quia primum Dei constitutum, non includit formaliter explicite ipsam intellectiōnem. Atque aded mirum non est quod illa prima intellectio ad se ipsam non terminetur.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Respon. nihil esse necesse, ponere in diuinis cognitionibus formalitates actu infinitas, quia diuina cognitio prout est directa, non distinguitur à se ipsa formaliter prout est reflexa, & cognitio prout est tendentia non distinguitur formaliter à se ipsa prout est terminus, quia cognitio illa cum sit infinita formaliter in genere cognitionis, includit formaliter & essentialiter omnem cognitionis perfectionem. Sicque scientia Dei vna est, & indiuisibilis etiam formaliter, vt bene probant Suarez, Herice, Alarcon. Non nego tamen quin cognitio directa distinguatur à reflexa per conceptus implicitos, & explicitos quod nullo modo sufficit ad ponendas infinitas formalitates, & reflexiones in ipso Deo, in quo non est nisi vna cognitio infinita in genere cognitionis, atque aded sub eadem formalitate, directa & reflexa, tendentia, & terminus tendentia, reflectens, & reflexibilis. Vnde non sequuntur absurda tria quæ inferebantur, processus infinitus in formalitatibus, aliqua cognitio extra collectionem omnium cognitionum, plures non plures reflectentes, quam reflexibiles. Quamuis in hoc etiam ultimo fallacia est. Nam etiam posito eo quod

volunt aduersarij, reflectentes omnes bis numerantur, semel vt reflexibiles, & semel vt reflectentes: reflexibiles autem omnes non bis numerantur, prima enim est reflexibilis non reflectens, vnde absolute plures essent reflexibiles, quam reflectentes, quamuis sibi mutuo videantur correspondere reflectentes, & reflexibiles. Sed hoc necesse non est dicere propter formalem identitatem reflexibilium, & reflectentium, vt dixi.

Ad tertiam Resp. conced. quod Deus cognoscendo creaturas, cognoscit ordinem earum, & se ipsum, vt terminum ordinis, sed nego quod Deus propterea cognoscat se ipsum in creaturis, sed tantum quod cognoscat se ipsum cum creaturis. Ratio est quia illum ordinem cognoscit in se ipso, vt medio cognito implicat autem vt in illo eodem actu indiuisibili, Deus sit obiectum primum, & obiectum secundarium. Hæc ergo propositio debet distinguui, quisquis Deum cognoscit, vt terminum dependentiæ quam creaturæ ad Deum habent, Deum cognoscit in creaturis, si cognoscat illam creaturam in Deo vt obiecto primario, & motiuo negatur: si cognoscat illam creaturam in se ipsa vt obiecto secundario concedo. Angelus cognoscens creaturam dependentem cognoscit Deum in creatura, quia cognoscit illam vt obiectum primum, & motiuum cognitionis; Deus cognoscit creaturam dependentem tanquam obiectum secundarium, & in se ipso, vt medio.

Solutio
tertiæ.

§. II.

An & quomodo Deus cognoscat creaturas.

Art. 5. 6. 9. 10. 11. 12.

Ratio dubit. primò est, qui distinctè cognoscit infinita, debet cognoscere id quod est præcisè necessarium, vt sit infinitum: sed Deus non potest hoc cognoscere, quia sublati centum vnitatibus & iterum, & iterum centum, manebit infinitum. Deinde si Deus cognoscit actu infinitum datur actu infinitum, quia illæ omnes vnitates sunt simul actu, in mente Dei. Hoc autem implicat quia infinitum syncategorematicum, esset infinitum categorematicum. Denique si Deus omnes diuisiones continui cognoscit, videt continuum diuisum in omnes suas partes, & redactum ad indiuisibilia quod probo, tunc continuum videtur, vt redactum ad indiuisibilia, quando videtur, vt non diuisibile ulterius, sed qui videt omnes diuisiones, non videt continuum, vt diuisibile ulterius, ergo videt continuum redactum ad indiuisibilia.

Prima du-
bitatio.

Secundò, si Deus cognoscit creaturas, etiam vt obiectum secundarium, respectum dicit transcendentem ad creaturas, quod reiectum alias est, quia Deus ordinaretur ad creaturas, & ab illis penderet. Probatur maior quia cognitio respectum habet transcendentem ad obiecta etiam secundaria sine quibus concipi non potest, nec esse; sed scientia de creaturis formaliter sumpta esse non potest sine creaturis. Confirmatur quia cognitio diuina si terminatur ad creaturas, est saltem indiuidualiter, perfectior quam si terminaretur ad solum Deum, ergo habet suam perfectionem à creaturis. Imò si cognoscit creaturas cognitio illa Dei specificatur à creaturis. Nam obiectum est id quod specificat cognitionem.

Secunda.

Tertio, Deus vt postea ostendam omnia videt in se ipso vt causa, sed mala videre non potest in se ipso vt causa, cum non sit illorum causa, neque in decreto cum absolute non decernat illa fieri: in decreto autem permissiuo nulla obiecta videri possunt, sed neque recurrere oportet ad scientiam conditionatam quæ cum decreto permissiuo potest ostendere malum

Tertia.

malum absolute futurum, queritur enim in quo mala illa fieri possint conditionate.

Conclusio. Dico primò, Deus distinctissimè & propriissimè cognitione cognoscit omnia obiecta creata etiam minutissima & singularia, quæcunque sunt realia, & cognoscibilia, ita S. Thomas art. 5. 6. 9.

Scriptura. Primò enim sic habetur ex scripturis, Iob 28. *Fines mundi intuetur, & omnia quæ sub celo sunt, respicit: & iterum ibidem, vniuersum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis, Ecclesiast. 1. arenam maris, pluuia guttas & dies seculi quis dinumerauit, vnus est altissimus creator*, alia omitto innumera.

Patres. Secundò mirabiliter exultant in eo argumento, Patres, Irenæus l. 2. c. 45. *Omnia quæ facta sunt, fiunt, & sunt, ita scribi video vt det illis singulis speciem, habitum, ordinem, numerum, quantitatem.* Basilius in psalm. 32. *Deum ostendit attentum esse ad omnes motiones humani cordis, singulasque numerare, & annotare.* Chrysostom. homil. 7. in epist. ad hæbr. *Oculum Dei omnia etiam secretissima peruadentem miratur, & describit eximie.* Cyrillus l. 9. de adorat. *Innumeros Deo tribuit, oculos vt nos respiciat, & mentem omnia scientem exaggerat.* Cyrillus, Hierosoly. Catechesi. 6. exemplo guttarum pluuia quas omnes nouit, explicat latitudinem scientiæ diuinæ. Macharius homil. 12. quod nouerit omnes cogitationes, cum nullus cogitationes vnus diei numerare valeat quæ omnia extendit optimè Lessius l. 6. c. 1. & 2.

Hieronymus. Difficilis tantum est locus Hieronymi ad illud Abacuc primo *Mundi sunt oculi tui ne videant malum:* ubi ait absurdum esse ad hoc Dei deducere Maiestatem vt sciat quot quotidie nascantur culices, aut quanta sit mulcarum multitudo: *Non simus* (inquit) *am stulti adulatorum Dei, vt dum potentiam eius ad ima detrahimus, in nos iniuriōsimus, eandem irrationabilium cum rationalibus prouidentiam esse dicentes, quem locum negat Vasquez excusari posse ab errore, sed mitius tamen S. Doctorem explicant alij, quod Deo negauerit cognitionem prouidentia peculiari circa creaturas irrationales quam habet circa singulos homines supra exigentiam causarum secundarum.*

Rationes. Tertiò, ratio apertissimè idem probat, quia intellectus essentialiter infinitus in genere cognoscens, quo null' esse potest perfectior extendit se, ad omne cognoscibile eo ipso, quod est cognoscibile. Imò si Dei omnipotentia singula etiam minutissima efficit, necesse omnino est vt illa nouerit etiam suā scientiā. Quomodo? enim aliquid nesciens fecit.

Secunda conclusio. Dico secundò, Deus propriissimè ac distinctissimè actu & simul cognoscit entia infinita ita etiam S. Th. art. 12. contra Durand. & Aureol.

Ratio est, quia tota collectio possibilium & futurorum tum absolute tum conditionate omnino est infinita cum inter possibilia nullum sit vltimum, neque inter dies æternitatis, & cogitationes Angelicas futuras per æternitatem. Deus autem cognoscit distinctissimè omnia, & singula possibilia, eorumque combinationes, & complexiones, & quid singula facere aut pati possint, deinde quid singula datā quāuis occasione factura essent, denique quid de facto totā æternitate factura sint, quæ vt vides, infinities infinita sunt. Denique infinitas non tollit cognoscibilitatem, cum Deus sit maximè cognoscibilis, fateor quod infinitum non est successiue cognoscibile cognoscendo vnam eius partem post aliam, sed simul totum intelligi potest.

Tertia conclusio. Dico tertiò, Deus etiam distinctissimè cognoscit omnes negationes, & priuationes, omnia entia rationis excogitabilia, & omnia mala: ita S. Thomas art. 10. & 11.

Ratio vniuersum est, quia illa omnia cognoscuntur

ab intellectu infinito quæ sunt cognoscibilia: Primò autem negationes, & priuationes sunt cognoscibiles in formis oppositis, non enim potest comprehendere homo, quin cognoscatur opposita illi negatio. Deinde cognosci possunt in subiectis in quibus sunt, & in se ipsis immediatè possunt cognosci, cum sint verè cognoscibiles. Secundò entia etiam rationis cognoscit Deus cum cognoscat comprehensiue intellectum, & omnes operationes quas potest habere, neque inde sequitur quod Deus faciat ens rationis, cuius totum esse est cognosci practicè ac primariò, nō speculatiue, ac secundariò, tanquam ab alio factum, quo tantummodo Deus illud cognoscit, sicut Deus non mentitur quando cognoscit hominem mentiri. Eademque ratio est de malo quod Deus cognoscit vt factibile à creatura quam in se ipso cognoscit.

Ad primam Resp. Deum cognoscere distinctè ac determinatè totum quod est necessarium, vt sit infinitum, cognoscit enim infinitas vnitates esse necessarias. Deinde dico infinitum illud syncategorematicum etiam quatenus est actu totum in mente Dei esse infinitum syncategorematicum, quia Deus illud cognoscit vt est in se, etiam si non sit in mente Dei partim actu, partim potentia. Deus videt diuisiones continui possibiles eo modo quo sunt possibiles, atque adeò ita illas videt vt non videat vllam vltimam inter illas.

Ad secundam Resp. nullum in scientia, & potentia Dei esse respectum realem secundum esse ad creaturas quia est ens magis necessarium quàm sit creatura, & illà implicante adhuc Deus non implicaret, maneretque tota eius scientia & potentia secundum entitatem, non maneret secundum terminationem. Ad argumentum ergo respondeo negando totam rationem propter quam creata cognitio ordinatur ad obiectum, reperiri in diuina cognitione, quæ tota esse potest secundum entitatem, quamuis non cognosceret creaturas. Ad confirmat. nego diuinam cognitionem habere perfectionem vllam ab obiecto secundario, cum ab obiecto primario habeat perfectionem infinitam, vnde semper æquè perfecta esset quamuis non terminaretur ad creaturas quomodo autem non specificetur ab obiecto secundario patebit ex sequentibus.

Ad tertiam Resp. negationes, entia rationis, & mala cognosci à Deo posse in se ipsis terminatiue vt constabit ex sequentibus.

SECTIO III.

De actu scientia diuina generatim.

Art. 7. 15. 16.

AB obiecto transeo ad actum illum Deus quo attingit latitudinem illam infinitam obiectorum, & proprietates eius breuiter enūmero, quarum alia pertinent ad entitatem ipsius actus, alia ad eius terminationem.

Ratio dubitandi primò est: quia si Deus ab æterno cognoscit Angelum possibilem, & futurum, sequitur quod in eodem instanti temporis cognoscit Angelum futurum, & non futurum, nam esse tantum possibilem, est esse non futurum. Neque dicas in illo instanti temporis duo distinguenda esse signa rationis. Nam illa signa vel sunt ficta vel realia, si primum ergo illa cognitio est ficta: si secundum ergo Deus realiter cognoscit Angelum esse futurum & non futurum, deinde si Deus ab æterno cognoscit futurum, non potest non cognoscere futurum; si enim potuit non cognoscere futurum, vel potuit aliquo instanti, vel per totam æternitatem, non primum, quia nullum est instans ante quod Deus non sciuerit: non secundum quia nunc Deus non potest co-

Solutio primæ dubitandi.

Solutio secundæ.

Solutio tertiæ.

Triplex dubitatio.